



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In Qua Tractatur De Contractu Et Sacramento Matrimonii

Bosco, Jean a

Lovanii, 1678

Concl. I. Consensus matrimonialis recipit diem & conditionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73432)

CONCLUSIO I.

Consensus Matrimonialis recipit diem & conditionem.

4.
Conditiones
generales non
faciunt Ma-
trimonia
conditiona-
lia,
L. 99. ff. de
Condit. &
demostr.

Conditiones quædam sunt generales, sic dictæ, quia tacite cuiuslibet contractui insunt, quàmvis non exprimantur, ut: *Si vixerimus*; & illæ non faciunt Matrimonia conditionalia; arg. l. 99. ff. de Condit. & demonstr. *Conditiones extrinsecus non ex testamento venientes, id est, quæ tacite inesse videantur, non faciunt legata conditionalia.* Aliæ sunt speciales; & rursus quædam harum sunt intrinsecæ, quæ scilicet Matrimonio ex necessitate insunt, quia sine eis Matrimonium constare nequit, uti; *Si non es consanguinea, si non es monialis contrabo tecum.* Aliæ autem sunt extrinsecæ, ut: *Si pater consenserit contrabo tecum.* De his principaliter hic tractatur; pauca tamen etiam de aliis placet adnotare.

5.
nisi aliter
apponatur,
quàm in-
sunt.

Atque in primis fieri potest, ut conditio generalis, quæ tacite inest, alio modo exterius apponatur, quàm insit; & tunc facit contractum conditionalem, suspendendo ejus effectum; arg. l. 65. ff. de Legat. 1. ibi: *Illi, si volet, Stichum do, conditionale est legatum. Et non aliter ad heredem transit, quam si legatarius voluerit: quàmvis alias, quod sine adjectione, si volet, legatum sit, ad heredem legatarii transmittitur; aliud est enim juris, si quid tacite continetur: aliud si verbis exprimat.* Quippe illud: *Si volet*, exterius appositum, non significat voluntatem solum internam, quæ est conditio generalis, sed approbationem etiam & declarationem illius voluntatis internæ, quæ non inest omni contractui.

6.
An hac con-
ditio: *Si*
non es con-
sanguinea,
exterius ap-
posita faciat
Matrimonia
conditiona-
lia.
Dicastillo.
Sanchez.
Pontius.

Sed nunquid etiam hæc conditio: *Si non es consanguinea*, exterius apposita, efficit Matrimonium conditionalium? Affirmat Dicastillo hic disp. 5. n. 5. quàmvis negent Sanchez lib. 5. disp. 1. n. 13 & Bal. Pontius lib. 3. c. 2. n. 10. Sed, inquit Dicastillo, est quæstio de nomine, quia re ipsa concedunt, quod intendimus significare, & mox subji- cio. Dico ergo esse conditionalium, ita ut per talem appositionem conditionis possint contrahentes aliquid intendere novum; nempe ut non contrahatur Matrimonium illicitè contra pietatem, consanguineis debitam, & ut non incurratur poena diffidentiae dispensationis impetrandæ, imposita in Trident. sess. 24. c. 4. de reform. Matr. contra eos, qui scienter contrahunt in gradibus prohibitis, aut quando omiffæ sunt illicitè denuntiationes, etiam si ignoranter in eisdem gradibus contraxerint.

Hoc autem ipsum non negant Sanchez & Basilius, imò concedunt, loquentes de poena excommunicationis, quæ lata est in Clem. un. de Confang. ubi non punitur ef-

fectus Matrimonii, cum is non possit sequi sed affectus contrahentium, seu attentionem contrahere, quem affectum non ostendunt, qui sub ea conditione, *Si non sint consanguinei*, ineunt tale Matrimonium, etiam si utriusque illa agunt, fortè sciant, se esse consanguineos. Hoc autem est quod nos etiam præcipue intendimus, & appellamus conditionaliter Matrimonium; non quia verè resolutè efficitur & contractus, sed quia consensus, si le extrinsecus per ista verba, est consensus qui fertur in objectum tantum sub illa conditione, quæ si subsisteret, fieret contractus. De quo quæstio est de nomine. Hæcille.

Sed, meo iudicio, non est quæstio de nomine, sed de re, & satis magna; nam hoc Matrimonium verè est conditionaliter suspenditur effectus ejus, nec transit in effectum, donec partes sciant, an sub illa conditione, ut expressis verbis docet Coninck de Sacram. disp. 29. dub. 2. ubi inquit: *Aliquæ (conditiones) ita necessariè insunt, ut his deficientibus, partes ne quædam perferantur contractum perficere; ut utrumque appareat contrahentes, si serio agerent, vix potuissent intendere aliquid aliud per illarum adjectionem operari.* Tunc hinc: *Ducam te cras, si vixerimus*; *Si non videris, si alteruter non fiat omnino*. Cum enim in his nulla sit iusta causa, contrahentes velint suum consensum, nisi de contrario constet; cessare non voluisse.

Aliæ verò sunt, quibus deficientibus, etiam invalide, possunt tamen contractum perficere; quia nimirum ignorant eas deficere, aut ut extrinsecus videantur contraxisse. Talis est: *Si non sis inter nos impudicus*. Et bonæ fide agentes, hanc conditionem adji- ciunt, ne sit impedimentum, aut consensum deantur consensisse in Matrimonio, atque ita exterius ponitur in eo casu, nisi aliunde constet de consensu esse conditionalium, nec absolutum, donec sciant, an sub illa conditione. Ita Regius, quem prosequitur Dicastillo.

Ergo hic non est quæstio soluta, sed de magna re: quippe in sensu, si illi, qui sic contraxerunt, sciant, non subesse impedimentum, vel non contrahendo absolute cum alia persona, dum Matrimonium valeret, secundum sententiam Sanchez & Pontii, ut patet.

Et verò juxta Coninck supra n. 53. dicendum est in hoc casu, & quando contrahitur sub his conditionibus: *Si Deus*.

fuerit; Si Deo vel Ecclesie placuerit; quia idem significant, atque hæc: Si nullum sub sit impedimentum, five, Si licitè possimus contrahere. In his enim casibus suspenditur contractus, donec probabiliter sciant, nullum subesse impedimentum. Hæc ille.

Sanchez autem, quamvis admittat n. 11. hanc conditionem: Si Deo placuerit, in aliquo sensu reddere contractum conditionalem, & suspendere effectum; putat, si intelligatur de voluntate divina approbante, ut sensus sit: si Deo non displiceat; sic enim non est conditio generalis, cum multa fiant contra Dei beneplacitum. Idemque sentiat n. 12. de hac conditione: Si Ecclesie placuerit, quia, inquit, semper intelligitur de voluntate approbativa; eundem n. 13. absolute negat, conditionem; de qua hic disputamus, scilicet: Si non es consanguineus; suspendere effectum; idque quia tacite includitur in ipso contractu, & in ipsa essentia imbibita est, cum ea seclusa contractus corrumpat: & ita, inquit, docent Omnes. Ergo inter Coninck & Sanchez non est tantum quæstio de nomine, sed de re; scilicet, an suspendatur effectus Matrimonii per hanc conditionem: Si non es consanguineus; donec post diligens examen constet, illud impedimentum non subesse.

Et quidem, ut dicam, quod ego sentio, si nulla sub sit causa dubitandi de consanguinitate, non putarem per istam conditionem suspendi effectum; sin autem sub sit aliqua ratio cogitandi, fortè subesse tale impedimentum, tunc videtur contrahens velle suspendere effectum; donec post diligens examen appareat, illud impedimentum non subesse; & tunc melius contraheret dicens: Si non fueris inventa consanguineus; tunc enim clarum est, conditionem illam non poni eo modo, quo tacite inest intrinsicè in ipso contractu, sed alio modo & sensu; nempe involvit obligationem indagandi, an sit, vel non sit tale impedimentum; adeoque vult contrahens suspendi contractum, & illius obligationem, usque ad debitam investigationem impedimenti. Perinde atque si in collatione beneficii conferens dicat: Confero tibi beneficium, si idoneus inventus fueris, non habet effectum collatio, nisi postquam constat de idoneitate, & indago præcedat; idèdque reddit actum conditionatum.

Itaque, sicut prius dixi, hæc quæstio non est tantum de nomine, sed de re satis gravi; quippe, ut bene advertit ipse Dicast. sup. n. 8. multum interest nosse, an contractus sit conditionalis conditione pendenti in futurum: nam si talis sit, nondum subsistit ante implem conditionem; atque adeò non causat effectus, quos causaret, si subsisteret. Primum ergo limitanda est communis

doctrina, ut non procedat, quando generalis & intrinseca conditio alio modo exteriùs apponitur, quam tacite inest. Secundò, dum conditio generalis exprimi prohibetur per legem: quamvis enim (inquit Pontius supra c. 2. n. 6.) eadem fortè sit expressa atque tacita: at quia contra legis prohibitionem fit, expressa nocet. Atque hinc est, quia lex exheredationem filii sub conditione fieri vetat, si quis ita dicat: Cum Titius hæres fuerit, filius ex hæres esto, nulla exheredatio est. Quia licet tacite semper ea conditio inest, non aliter exheredatum filium, quam si alius ex testamento hæres existat; tamen quia contra legem, prohibentem exheredari filium sub conditione, actum est, ea conditio expressa in exheredatione nocet, ut existimavit Donellus. Ita Pontius. Qui tamen putat, hanc rationem Donelli non esse solidam. Unde aliam ibidem assignat ex Duarenò & Osualdo, quam vide apud ipsum.

Melius exemplum videtur esse: si apponatur conditio vel dies illis contractibus, qui non recipiunt diem, neque conditionem; tacita enim conditio expressa nocet, ex quo jam per legem designata est forma, cui addi vel detrahi nihil potest. Verum ergo est (inquit Basiliius supra) conditionem tacitam, si exprimat, nihil ampliùs operari, quam si non exprimat, vel nocere, nisi in casu, quo vel alium sensum efficit, vel lege exprimi prohibetur.

Si autem à me quæritur, qui sint illi contractus, qui nec diem, nec conditionem recipiunt? Respondeo per Reg. 50. de Reg. juris in 6. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. Et Reg. 77. ff. eod. Actus legitimi, qui non recipiunt diem, vel conditionem: veluti mancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi oprio, datio tutoris, in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem; nonnunquam tamen actus supra scripti tacite recipiunt, quæ aperte comprehensa, vitium adferunt. Nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit, ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio existierit, quæ si verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.

Ex qua Regula juris civilis, liquet profectò, Reg. juris Canonici non esse generaliter intelligendam de omnibus actibus legitimis; alioquin improbaret nostram Conclusionem, cum Matrimonium & consensus Matrimonialis sint actus legitimi; sed non ex illis, qui exprimiuntur in Reg. juris civilis.

Porro non inconvenienter ad hanc Reg. restringimus jus Canonicum, cum scriptum sit cap. 1. de Novi oper. nuntiat. Quia verò nuntiat

Limitationes quadam communis doctrina.

Pontius.

Donellus. Duarenus. Osualdo.

13. Qui sint contractus, qui nec diem, nec conditionem recipiunt, ex Reg. 50. in 6. & l. 77. ff. eod.

14. C. 1. de Novi op. nuntiat. sicut

sicuti leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum, Principum constitutionibus adjuvantur.

Et aliunde constat ex aliis titulis juris; puta ff. de Condit. Inst. de Condit. & demonst. ext. de Condit. appof. & §. Omnis stipulatio, Inst. de Verb. oblig. plurimos actus legitimos recipere conditionem, & diem. Quod autem aliqui contractus non recipiant, ratio est; quia legibus ita instituti sunt, ut statim debeant fortiri effectum; ac proinde conditio suspendens aduersatur eorum substantiæ.

Cum ergo Matrimonium, seu verius, consensus Matrimonialis, non sit ita legibus institutus, ut statim debeat fortiri effectum; sed leges oppositum pluribus locis satis significent, ut ex progressu patebit; sequitur manifestè, quod non solum validè, sed etiam licitè apponatur subinde conditio extrinseca seu propriè dicta (& eadem est ratio diei) apponatur, inquam, Matrimonio seu potius, consensus Matrimoniali.

Dico: Seu potius &c. quia ly Matrimonium, videtur significare contractum perfectum & indissolubilem, qualis non oritur ex consensu Matrimoniali conditionato, nisi iam impleta conditio. Et ideò in Conclus. expressi consensum Matrimoniale.

Probat autem Conclusio ex jure Canonico, tit. de Condit. appof. cap. 3. De illis autem: Et infra. Si verò aliquis sub hujusmodi verbis juramentum alicui mulieri præstiterit: Ego te in uxorem accipiam, si tantum mihi donaveris: reus perjurii non habebitur, si eam nolentem sibi solvere, quod sibi dare petiit, non acceperit in uxorem: nisi consensus de præsentis (scilicet absolutus) aut carnalis sit inter eos commixtio subsecuta. Ita Alex. 3. Panormitano Archiepiscopo. Ubi Gloss. in propositione casus: Nota, inquit, quod conditio honesta potest intervenire in Matrimonio.

Item cap. 5. eod. Item cap. 5. sequentis tenoris: Super eo verò, quod postulasti, utrum ille, qui in quamdam mulierem consensit, si pater ejus suum præstaret assensum, sit ad consummandum Matrimonium compellendus: Respondemus, quod cum consensus liber dici non possit, qui in alieno arbitrio reservatur, ac conditionem ipsam Canonica non improbet instituta, nisi voluntas patris postmodum intercedat, nequaquam cogendus est ad Matrimonium contrahendum. Ita Urb. III. Ubi Gloss. in propositione casus: Nota, inquit, quod Matrimonium sub conditione contrahi potest, non tamen tenet, nisi conditio extiterit, vel recessum sit à conditione per contrarium factum.

Denique cap. fin. eod. ita legitur: Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur.... Matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis, caret effectu, licet aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes aut

impossibiles fuerint, debeant propter eju favor rem pro non adjectis haberi. Ita Greg. 9.

Ubi Gloss. verb. Contra substantiam conjugii, sic ait: Nota ergo, quod quaedam conditiones apponi possunt in Matrimonio licet, que à jure admittuntur, puta: Si centum milia dederis, si patri meo placuerit, ut sup. De illis. sup. eod. Per tuas. Hujusmodi conditiones honestæ sunt, nec sunt contra substantiam Matrimonii quia potest esse consensus & sine illis.... Est & alia conditio honesta quæ est de substantia Matrimonii, ut cum Christianus dicit Fidei vel heretice: Contrahens cum, si vis fieri Christiana.

Quid vobis videtur? Num adhuc restat est locus dubitandi de veritate nostre Conclusionis? Præsertim cum & alii contractus civiles, ut emptionis, donationis, & similes sub conditione celebrantur, & legitime conditione relinquuntur.

Sed quid dicam? Nihil hodie tam apertum & dilucidum, quin aliquibus reprobis sum appareat. Itaque Basil. Pontifex, ubi concedat, hanc nostram doctrinam esse communem; equidem verius existimat, Matrimonio non posse apponi ullam conditionem, quæ suspendat: sed, inquit, si ponatur in vim conditionis, tantum esse contractum sponsalium, & non Matrimonium.

Hanc sententiam (prosequitur) tenent, quicumque docent, Matrimonium sità conditione egere novo consensu.

Sufficere priorem, in quo non loquuntur quenter Thomas Sanchez, ut statuitur. Sentit etiam expressè, esse sponsalium tantum, Greg. de Valentia q. 2. par. 2. de bel. l. 2. de Matr. q. 10. sect. 3. probabiliorem putat Petrus Ledesma q. 4. de Matr. a. 5. dub. 1. de condit. honestis, ubi conclus. Idem docet Cuiatius c. 1. de Condit. appof. ubi dicit nullam conditionem, que pendat apponi posse Matrimonio. Hanc sup. c. 13. n. 3.

Atque pro unico fundamento hujus sententiæ ibidem n. 5. ponit hoc argumentum. Ad Matrimonium requiritur consensus de præsentis: sed ille consensus quantumcumque verba sonent de præsentis, non est de præsentis, sed de futuro: ergo non est sufficiens ad Matrimonium, sed ad sponsalia.

Minorem (quæ est punctum essentialis) probat ex cap. Super eo, de Condit. appof. Imperiù à nobis pro nostra & communis honoris allegato; ubi, inquit, cum quædam dicit ab Urbano III. an qui in quamdam personam consensit, si pater ejus præstaret assensum, sit ad Matrimonium contrahendum compellendus? Respondet Pontifex, debente conditione non esse compellendus ad contrahendum; & addit, illum non esse consensum de præsentis, licet per verba de præsentis

Muti actus legitimi recipiant diem & conditionem.

15. Matrimonio licite apponitur conditio propriè dicta.

16. Probat ex c. 3. de Condit. appof.

Item cap. 5. eod.

17. Et cap. fin. eod.

Bibliotheca Sacra

fenti evidenter exprimat. In quo jam constat, agere Pontificem de eo, qui per verba de presenti contraxit sub hac forma: *Contraho tecum, si pater meus præset assensum, vel patri meo placuerit.*

Duplici autem ratione faver Pontifex. Primò; quia dicit, antequam patris voluntas intercedat, non esse cogendum ad Matrimonium contrahendum. Ergo intercedente patris voluntate cogendus erat. Ergo adhuc pendente conditione non erat consensus de presenti, aliis non cogetur ad contrahendum, præfinito paterno consensu. Deinde nobis faver; quia dicit, illum fuisse consensum de futuro. At Matrimonium perficitur consensu de presenti. Ergo ille consensus conditionatus non fuit de presenti, & ex consequenti neque Matrimonii, sed sponsalium. Uique adhuc Pontius.

Sed contra: ut patet ex genuinis verbis, supra relatis, non fuit quæsitum ab Urbano III. an qui in quandam foeminam consensit, *Si pater ejus præset assensum*, sit ad Matrimonium contrahendum compellendus, i. e. *Ad consummandum Matrimonium compellendus*. Quando ergo Pontifex responderet, deficiente conditione nequaquam cogendum esse ad Matrimonium contrahendum, id est, *Contrahendum*, intelligendum videtur de contractûs perfectione, id est, Matrimonii consummatione, quia responsio interroganti congruere debet; arg. cap. *Qualiter* & quando, de Accus. circa finem, ibi:

Cap. 24. de Accus. Illo semper adhibito moderamine, ut juxta formam iudicii, sententia quoque forma dicitur. Ergo supponit Pontifex, adveniente conditione jam esse contractum Matrimonium.

Respondet Pontius supra n. 10. Quamvis possit dici, eâ responsione Pontificem docere voluisse interrogantem, etiam aliquid amplius faciendum superesse post consensum paternum ante consummationem, scilicet contrahere Matrimonium; vel interrogantem verbo illo, *Consummandi*, utrumque intellexisse; ostenditur tamen, Pontificem propriè usum verbo contrahendi; quia dixit in secunda parte capituli, consensum illum esse tantum de futuro, & judicari non posse pro consensu de presenti: ergo non potuit verbo, *Contrahendi*, intelligere consummationem Matrimonii jam contracti, sed celebrationem contractûs; cum non possit esse Matrimonium cum consensu tantum de futuro, sed de presenti. Hæc ille.

Subscribo verba secundæ partis dicti cap. Super eo: *Nam licet Alexander Papa responderit, quod sponsalia, interpositâ conditione contractâ, ipsâ non impleta, si consensus de presenti intercedat, vel carnalis copula subsequatur, dissolvi non debent, sed firmiter observari: nequaquam est nostræ diffinitioni adver-*

sium, cum hujusmodi consensus non sit de presenti habendus licet per verba de presenti evidentiùs exprimat, qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit.

Planè hujusmodi consensus non est de presenti habendus, veluti consensus, de quo loquitur Alexander Papa, qui, etiam non impletâ conditione, firmiter obligabat; id est, hujusmodi consensus non debet haberi pro presenti absoluto, & perfecto, qui, antequam pater consentiat, obliget ad Matrimonium consummandum, sicuti obligabat consensus de presenti in casu Alexandri, ut patet ex Glossâ ibi verb. *Consensus de presenti*, quæ sic ait: *Tunc enim recedit de conditione apposta, & simpliciter intelligitur consentire.* Et verb. *Carnalis*, inquit: *Et per hoc videtur recessisse à conditione, infra eod. Per tuas: & sic est Matrimonium præsumptum, contra quod non admittitur probatio.*

Quis jam non videt, si tamen habeat oculos apertos ad videndum, consensum, de quo Urbanus III. non ita esse de presenti, sicuti consensus, de quo loquitur Alexander III? Quem ergo consensum intelligit Urbanus III.? Consensum de presenti, sed conditionalem tantum, non perfectum & absolutum.

Respondet Pontius supra: Planè & apertè dixit Pontifex, non solum non esse de presenti perfecto; sed acutè contemplatus vim ejus consensûs, dixit, non esse de presenti, quàmvis id sonent verba, sed de futuro; & reddit rationem, quia consistit in consensu non habito, sed habendo. Ergo consensus ille reverà est habendus & futurus.

Deinde urgeo; Quod Pontifex dixit, consensum illum non esse habitum de presenti, licet per verba de presenti evidentiùs exprimat. Ergo consensui negat, esse de presenti eo modo, quo concedit verbis expressionem illius de presenti: sed verba exprimunt illum consensum de presenti imperfecto & conditionato, non absoluto: ergo negat consensui esse de presenti, sed tantum reverà esse de futuro. Hæc ille.

Sed scire debuit, Pontificem sic locutum fuisse; quia pars apprehendebat in illis verbis consensum de presenti absolutum & perfectum, id est, talem consensum, qui firmiter observari deberet, etiam non impletâ conditione. Alioquin, si solum apprehendissent consensum sponsalium, quomodo jure poterant ipsum cogere, sicut cogere volebant ad Matrimonium consummandum?

Quid ergo, inquis, vult significare, quando dicit: *Licet per verba de presenti evidentiùs exprimat?* Respondeo: magis hinc exprimi consensum de presenti, quam in sponsali-

V v v

22.
An conditionatus consensus sit de presenti.

23.
Existimat Pontius tantum esse de futuro.

24.
Contra ar. 2. guntur.

salibus conditionatis. Aliud liquidem est dicere: *Contraham tecum, si pater consenserit*, aliud autem: *Contraham tecum, si pater consenserit*. Sicut longè diversa sunt: *Vendam tibi illam rem, si pater consenserit*, &: *Vendo tibi illam rem, si pater consenserit*; nam ex primo contractu, etiam positâ conditione, nondum oritur jus ad illam rem, quale oritur ex contractu posteriori, secundum communioem & verioem sententiam.

25. *Explicatio posterioris patris d.e.*
Quamvis ergo hæc posteriora verba: *Contraham tecum, si pater consenserit*, evidentius expriment consentum de præsentî, quam priora; quia tamen in alieno arbitrio non habito, sed habendo positus est, idè non debet dici consensus de præsentî, scilicet perfectus & absolutus, id est, consensus de præsentî, ex quo ante impletam conditionem oritur jus in corpus ejus, qui sic consensit.

26. *Oppugnatur à Pontio.*
Alii aliter explicant hunc textum, dicentes, eum intelligendum esse de eo, qui consensum suum rejecit in patrem, sic ut illi contulerit potestatem contrahendi ad instar Procuratoris, & ita non mirum, si Pontifex vocet istum consensum de futuro, & non de præsentî.

27. *Non bene argumentatur hic à contrario sensu.*
Sed contra, inquit Pontius luprâ num. 6. hæc interpretatio ex ipso textu refellitur, quia dicitur: *Nisi voluntas patris postmodum intercedat, nequaquam cogendus est ad Matrimonium contrahendum*. Ergo non est voluntas filii ita collata in voluntatem patris, quasi in Procuratorem, ut ejus nomine contrahat; quia si eo modo collata esset, non esset necessarium ut, accedente consensu patris, ille alter contraheret, sicuti Procuratore legitime contrahente, non est necessarium, ut de nudo contrahat, qui mandatum dedit.

Repondeo & quæro; ubi Pontifex dicit, intercedente voluntate patris, eum cogendum esse ad Matrimonium contrahendum? Quamvis etenim non debeat cogi ante consensum patris, cum verè non obligetur; non sequitur tamen à contrario sensu, ergo debet cogi, quando intercedit consensus patris; nam Pontifex responder ad sola interrogata; non quærebatur autem, an deberet cogi post consensum patris, quia tunc non erat necessaria coactio, quod omnibus notum erat; sed, an posset cogi ante consensum patris.

Itaque non semper benè argumentatur in positivis à contrario sensu, ut patet in multis aliis casibus, & specialiter ostenditur in hoc casu, in quo per eventum conditionis mutatur status personæ; nam juvenis ille per consensum patris ex cælibe transit in conjugem, ac proindè novus consensus redditur quodammodò impossibilis; quia tamen si de novo consentiret, non foret consensus matrimonialis; namque, ut patet ex dictis Sect. 4. Conclus. 6. solus

primus contractus eorundem contractuum est verus contractus Matrimonii.

Porro quamdiu non ponitur consensus patris, tamdiu sine novo consensu non subsistit Matrimonium; & idè fecit dixit Pontifex, nequam eum cogendum ad Matrimonium contrahendum; quia verè ante consensum patris deberet de nudo contrahere Matrimonium, ut valeret autem consensus patris positus est, pro Matrimonium contractum est, ad id frustra cogetur ad iterum contrahendum. Atque hæc pro secunda explanatione prædicti textus: *Super eo*.

Sequitur tertia, quæ ait: *peccatorum consensui meo, quod non sit præsentis, sed live in Matrimonio, sive in alio quocumque contractu, rejicitur in voluntatem patris, vel alterius extranei, tamen meus consensus & alterius unum mulier consentur, & sic non mirum, si consensus non dicatur præsentis, donec alter consensus existat.*

Undè, inquit Pontius sup. n. 7. *Contractus requirit consensum de præsentî, non celebratur; quia non est consensus. Quare cum illi contractus fuerit consensus in patris consensum, manifestum videtur, eorum consensum esse de præsentî, quia non erat præsentis consensus, qui moraliter eorum contrahatur; sed tantum fuit consensus etandi patris voluntatem, atque acciens ad Matrimonii contractum. videtur Pontifex indicare in eorum enim dixisset, consensum illum esse verba de præsentî evidentè expressisse esse habendum de præsentî, inquit: *Quia in alieno arbitrio non habendo consistit; & etiam dixerat, non liberum non esse, qui in alieno arbitrio locatur. Hucusque Pontius.**

Qui n. 8. restatur, sibi aliquando illam interpretationem, eaque commo judicasse, hunc textum non esse effectum hanc sententiam, de qua agimus, commo dam. Sed nunc, inquit, omnino displicet.

Nun quid rectè, interrogetur quæ non post paucas lineas asseris: Jam illa debemus, quoties consensus contrahentis pendet à conditione, quæ est in arbitrio extranei, vel contrahentis potestatis, non bene Matrimonium, sed sponsalia, & contractus de futuro. Et verò quid aliud debemus habere ex illo textu? Hoc unicuique est attendis probare. Ergo non rectè displicet ista interpretatio, prout à te proponitur.

Sed displicet mihi ista propositio. Nam primis Pontifex non ait: *Quia in alieno arbitrio, sed: Qui in alieno arbitrio, quæ sunt duobus distincta; nam, Quis est particula*

salis, fecus, Qui. Deinde; nequaquam admittendum est, consensum filii tantum fuisse consensum expectandi patris voluntatem; sed insuper fuit consensus tradendi corpus suum ad usum matrimoniale, hoc ipso quod intercederet voluntas patris.

Sicut dum venditur aliqua res sub conditione futura, vendens non tantum habet voluntatem expectandi eventum conditionis; sed etiam voluntatem rem suam alienandi, hoc ipso quod intercedat conditio. Veluti etiam in sponsalibus conditionatis, non solum intervenit voluntas expectandi eventum conditionis, sed etiam se obligandi ad Matrimonium contrahendum, hoc ipso quod conditio intercedat; alioquin novo esset opus consensu, etiam ut sola sponsalia intelligerentur contracta, quod non puto Pontificum concessurum.

31. Quidquid sit de hac tertia expositione; si forte adhuc alicui non esset satisfactum, subdo quartam ex Card. de Lugo de Just. & jure disp. 22. sect. 24. num. 393. Negari (inquit ille) non potest, quod hæc interpretatio (quæ pro eodem accipit; *Ad contrahendum*, ac si dixisset Pontifex; *Ad consummandum*) durioscula sit, cum adeo differant, *Contrahere*, & *Consummare Matrimonium*; nec possit facile excusari Pontifex, unum pro alio usurpans, præsertim cum per verbum proprium, *Consummandi*, proximè interrogatus fuisset: quare ego existimo verbum, *Contrahendi*, à Pontifice in sua propria significatione usurpatum fuisse: voluit enim respondere non solum ad id, de quo interrogatus fuerat; sed etiam ad id, de quo interrogari debuisset, & interrogantis ignorantiam omiffum fuerat.

32. Casus enim erat de eo, quem ante consensum patris, sub cujus conditione uxorem duxerat, volebant cogere ad consummandum Matrimonium, de quo Pontifex respondet, non esse compellendum: quia nimirum consensus ille non fuerat absolutus de præfenti, sed conditionalis in tempus pendente conditionis.

Quia tamen queri rursus poterat; quid agendum, si ipse ante patris consensum resisteret, an tunc esset cogendus: respondet, ante consensum patris non debere compelli ad contrahendum; quia conditio illa improbat non est, & debet omnino expectari ad obligationem: quibus verbis per argumentum à contrario indicavit, positâ conditione compellendum esse ad contrahendum.

33. Sapienter autem usus fuit verbo, *Contrahendi*, & non, *Consummandi*: quia in casuposito, adveniente postea conditione, nondum fieret ipso facto Matrimonium, sed requirebatur novus consensus, eod quod ex dispositione & animo promittentis, colligi vi-

debat, mutato consilio, ipsum jam nolle amplius in Matrimonio promisso, & sub conditione contracto persistere: quare cum prior consensus virtualiter non permaneret, adveniente etiam conditione, non subsisteret Matrimonium, sed ad summum obligari posset ad consentiendum de novo, & ad sustinendum priorem consensum; ideo Pontifex, ut his omnibus unico verbo responderet, & occurreret, dixit, illum ante patris consensum ad nihil obligari posse, scilicet nec ad consummandum, nec etiam ad contrahendum, significans quod, positâ consensu patris, obligari poterat, saltem ad contrahendum, licet propter animi mutationem, quæ supponi videbatur, novus consensus, & novus contractus necessarius esset ad valorem Matrimonii.

Noluit ergo Pontifex dicere, quod semper, positâ conditione, requiratur novus consensus ad contractum; sed quia aliquando propter animi mutationem id requiritur, quæ mutatio animi in casu illo esse videbatur, ut breviter & radicis doctrinam generalem traderet, dixit, neque ad hunc etiam consensum, & ad contrahendum obligari posse, nisi positâ conditione consensus paterni, quâ positâ, ad hoc saltem compelli posset, etiam si animum mutasset; si enim nulla esset animi mutatio, non ageretur de eo compellendo, atque ideo non esset compellendus ad contrahendum, cum nemo nisi invitatus ad aliquid compelli possit; & hanc puto esse legitimam illius capitis interpretationem. Hactenus Eminent.

Sed contra hanc interpretationem facit; quod ex textu non constet, promittentem illum noluisse contrahere, vel potius noluisse Matrimonium consummare, obtento consensu patris; sed solummodò antequam intercessisset consensus patris; nam quærebatur à Pontifice, an posset compelli ante obtentum consensum patris; quippe de compulsionem, post habitum consensum patris, non poterat esse dubitatio. Itaque non a sum firmiter asseverare, hanc esse legitimam interpretationem illius capitis; sed neque puto, eam esse necessariam ad veritatem nostræ Conclusionis, ut patet ex aliis interpretationibus.

34. Quibus adde, quod (ut notat Dicastillo hic disp. 5. num. 71.) cum sint diversæ opiniones probabiles in materia tam gravi, qualis est contractus Matrimonii, non immeritò posset præcepto Superioris cogi contrahens sub conditione, ad contrahendum absolute post impletam conditionem per novum consensum, ut certiori modo & tutiori celebretur contractus; sicut in multis Sacramentis (præsertim maximè necessariis) tutior sententia debet præferri, etiam si probabilis & forte vera sit opposita. Hæc ille.

34. Arguitur contra hanc expositionem.

35. Iudicium Dicast. de hac controversia.



36. Probat præterea Pontius suam sententiam ex c. 6. de Condit. appof.

Cæterum Pontius non contentus illo jure, aliud pro sua sententia adducit sup. n. 12. dicens: Secundò probatur eadem Minor (scilicet hujusmodi consensum conditionatum, non esse de præfenti, five matrimonialem) ex cap. *Per tuas*, de Cond. appof. ubi expressè agitur de contractu, per verba de præfenti celebrato, sub conditione, *Si pater & patruus consentirent*; restiterunt illi, sed antequam resisterent, coprahentes copulati sunt.

Respondet Pontifex in hæc verba: *Quòd cum liquido constet, quòd post contracta sponsalia, carnalis est copula subsequuta, pro Matrimonio est præsumendum; quia videtur à conditione appofita recessisse. Nam est probatum sit, quòd postquam pater & patruus viri contraxerunt sponsalibus, idem vir mulierem illam carnali conjunctione cognoverit, non est tamen aliquo modo probatum, quòd antequam ipse cognovisset eandem, pater ejus & patruus contradicere curavissent.* Hæc Innoc. III.

37. Ejus verba expendit.

Quæ verba (inquit Basil.) sic expendo. In primis, Pontifex contractum illum, per verba de præfenti celebratum, non appellat Matrimonium, sed sponsalia. Et quàmvis etiam aliquando sponsalium nomine, solet Matrimonium significari; attamen in præfenti locum habere non potest. Loqui enim de sponsalibus, ut à Matrimonio distinguuntur, ostendit illud, quòd utriusque mentionem facit, & dicit pro Matrimonio præsumendum esse post copulam; quia videlicet ante copulam tantum erant sponsalia.

Deinde; quia ad controversiam propofitam decidendam recurrit Pontifex ad præfumptionem juris, & de jure, quæ consistit in copula, habità post sponsalia, quæ sponsalia transeunt in Matrimonium; cap. *Is qui fidem*, de Sponsal. Ergo sentit, illa sub ea conditione contracta, non esse Matrimonium, sed tantum sponsalia. Hæc ille.

38. Rejicitur probatio.

Sed facilis est responfio; Pontificem per Matrimonium ibi intellexisse, Matrimonium absolutum & perfectum; per sponsalia autem de præfenti Matrimonium imperfectum seu conditionale, pendente adhuc conditione. Et sic profectò liquet, optimè distinxisse Pontificem inter sponsalia & Matrimonium; & benè recurrisse ad præfumptionem juris & de jure, quæ consistit in copula, habità post sponsalia, quæ sponsalia, five de futuro, five de præfenti, transeunt in absolutum & perfectum Matrimonium.

39. Tertia probatio Pontii.

Sequitur tertia probatio Pontii; quia (inquit supra n. 13.) in his, qui contrahunt de præfenti, impediti aliquo impedimento, sub conditione tamen, *Si Papa dispenseret*, non potest ille esse consensus Matrimonii, sed sponsaliorum tantum: ergo idem in aliis conditionibus dicendum est.

Sed Antecedens hujus probationis fallit esse, ostendam inferius, ubi particulem hæc controversia in ficutum Conclusionem.

Venio ad quartam probationem, de futuro ram ex ratione, quæ talis est: Quia eo tempore (inquit Pontius supra n. 14.) pendente conditione, si contrahat pure cum aliquo, valet hoc Matrimonium, sicut sponsalia per Matrimonium dissolvantur. Item: si copula cum aliqua contrahat de præfenti, sub conditione, & post sub conditione cum alio, hujus primò adimpletur conditio, effectum Matrimonium valet ex eorum conditione, non primum. Item: ante eventum conditionis licet resillire mutuo consensu. Quæ omnia indicant, reipsa tantum consensus sponsalium.

Et ratio quasi à priori est: quia tantum notissima in jure differentia inter obligationem in diem, & obligationem sub conditione, quòd obligatio in diem statim contrahitur, quàmvis ante diem peti non possit, nec ante diem debetur, & de præfenti obligatio est; & inde est, ut cedat dies legatus, nec ante diem decedat legatarius, nec ante diem redeat, neque intercidat autem legatum. At quando est obligatio conditionalis, debetur ante impletam conditionem, nec cedit legatus dies, et si eo tempore autem conditionis moriatur legatus, transit ad hæredes jus legatum, sed non obligatum.

Ex qua recepta & verissima doctrina manifestum est, obligationem, quæ contractu conditionali, non obligat nec præfentem ejus contractum esse quasi promissionem contractum, nec debeat, & compelluntur facere contractum. Hæc ille.

Respondeo ad hæc omnia: quia Matrimonium consensu conditionali, non obligat nec præfentem ejus contractum, sed tantum consentum quidem esse de præfenti, tamen, & nondum parere obligationem, quæ sit vinculum Matrimonii in factum, donec eveniat conditio, vel adveniat dies, five, quod in idem redit, parere obligationem, non quidem perfectam; sed inchoatam, periciendam seu completam, per positionem conditionis.

Nonne, quamdiu aliquis præfentem formæ Sacramentalis, manet suscipiens, significatio, & proinde effectus Sacramentalis, nec completa sit prolatio & significatio, non pariat effectum, id est, obligationem vinculi in factum esse indissolubilem: post autem eventum conditionis, tunc, quædam de præfenti, ponitur perfecta & indissolubilis obligatio matrimonialis.

B
Sacramentum
Matrimonii

Quod amplius declaratur. Ponamus consensum necessariò duraturum per aliquod tempus, ut obtineat suum effectum, v. g. in exemplo posito, intentio administrandi Sacramentum, quamdiu durat applicatio materiz, & prolatio formz; donec impleatur illud tempus, ille consensus seu illa intentio non dicitur obtinere suum effectum; nisi quando accesserit ultimum instans illius temporis. Sic ergo impræsentiarum considerandum est tempus, usque ad conditionis eventum; donec enim hæc eveniat, nondum est perfectus consensus; quia nondum advenit quasi instans sui complementi, ac proinde nondum peperit obligationem absolutam Matrimonii; & idèò habet locum revocatio, & contractus purus seu absolutus cum alia.

Sed quid ad hæc Pontius? Quàm vis (inquit sup. n. 16.) acuta hæc explicatio sit, & quæ non difficilè sustineri possit; adhuc tamen contra illam est, quod Pontifex in ea conditione, Si pater consenserit, planè dicat esse consensum de futuro. Et præterea; quantumvis acutè explicetur, & verbis adumbratur, si tamen exactius consideretur, totum hoc non transcendit limites sponsalium, ut videmus in effectibus, qui ex ejusmodi consensu conditionali sequuntur, & est evidens signum constantis obligationis & naturæ illius. Hæc illi.

Ego autem dico; totum hoc transcendere limites sponsalium in eo, quod sponsalia adhuc requirant novum absolutum consensum de præsentibus; sed consensus ille conditionalis de præsentibus; ita ut post eventum conditionis, non sit necessarium adhibere novum consensum absolutum de præsentibus; sed per positionem conditionis, prior consensus conditionalis transeat in absolutum, & inducat stabilem obligationem Matrimonii, ut edissero Concluf. sequenti.

Tantum præmitto, quod ibidem n. 22. ait Pontius: Ex contractu conditionali transire obligationem ad hæredes; quia, inquit, est obligatio justitiæ, & idèò §. Ex conditionalis, Inst. de Verb. oblig. dicitur: Ex conditionalis stipulatione, spes est debitum iri, eamque ipsam spem in hæredes transmittimus; si prius, quam conditio extet, mors nobis contigerit. Estque communis doctrina, ut docet Molina to. 2. de Justitia disp. 285. post. 3. conclus. Quod de conditione casuali & mixta receptum est, & de potestativa, quæ necessariò personæ adhæret, ita ut sit de aliquo, quod necessariò adimplendum est per personam, cui sit promissio; tamen de potestativa conditione, quæ non ita adhæret personæ, non est sine controversia: Bartolus enim, & communis Jurisperitorum sententia negat. Existimo tamen veriorè sententiam oppositam, transire scilicet ad hæredes, ut docet

Molina disp. citatâ. Uique adhuc Bassilius. Infero ego; ergo malè ibidem n. 14. distinguit inter obligationem in diem, & obligationem sub conditione, quod obligatio in diem statim oritur, secus obligatio sub conditione; & idèò obligatio in diem transeat ad hæredes, secus obligatio conditionalis, nisi intelligat suam doctrinam, sicut videtur intelligere, de solo legato conditionali, & tunc perperam ex illa differentia infert generaliter, ut supra vidimus, obligationem, quæ nascitur ex contractu conditionali, non esse obligationem præsentem ejus contractûs, cum solùm id locum habeat in legato, propter specialem juris constitutionem, quæ non est extendenda ad Matrimonium; & idèò dicimus, eandem esse rationem Matrimonii in diem, & Matrimonii sub conditione, videlicet, ex ipsis non oriri perfectam & indissolubilem obligationem, antequam conditio evenierit, aut dies præfixa advenerit. Porro, & erit

CONCLUSIO II.

Adveniente die, & adimpletâ conditione, perficitur Matrimonium in ratione contractûs & Sacramenti sine novo consensu, nisi prior fuerit revocatus.

Suppositâ veritate præced. Concluf. parvam habet difficultatem hæc Conclusio; unde qui nobiscum docent, consensum Matrimoniale recipere diem & conditionem; consequenter nobiscum dicunt, adveniente die, & adimpletâ conditione, purificari ejusmodi consensum; ac proinde Matrimonium perfici absque novo consensu. Igitur Concluf. nostram docet Sanchez lib. 5. disp. 8. n. 5. cum Aliis multis tam Jurisperitis, quàm Theologis, quos ibidem in fine citat. Probatur primò, ex cap. Super eo. de Condit. appofitis, præcedenti Conclusionè adducto, & expenso. Videantur ibi dicta.

Probatur secundò; quia sponsalia conditionata purificantur impletâ conditione sine novo consensu; ergo etiam Matrimonium conditionatum. Consequentia patet: quia sicut ad Matrimonium requiritur purus consensus de præsentibus, ita ad sponsalia purus consensus de futuro; quippe ex sponsalibus conditionatis non oritur publica honestas, nisi impletâ conditione; arg. cap. un. de Sponsal. in 6. ibi: Cum ex sponsalibus conditionalibus ante conditionem extantem, sicuti consensus (scilicet purus de futuro) non habentibus, & incertis, nulla publicæ honestatis justitia oriatur.

45. Illatio Au- thoris.

46. Concluf. probatur x. ex cap. 5. de Condit. appof.

Sanchez.

Secunda probatio exem- plo sponsalium.

Cap. un. de Sponsal. in 6.

